



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

1 Quæ voluntas requiratur ad illud.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Speculat. Ius lib. quint. cap. prim. numer. sexto, & latius cap. 12. per totum, ubi affert Speculatorem tit. de Dispensatione, §. *Iuxta*, & citat plura decreta, vt cap. *Testimonium*, de Testibus cum Glossa, & cap. *De his vero*, & cap. *Sacerdotes*, 50. distinction. & capit. *Si quis Presbyter*, 15. quæstion. octau. & ibidem hoc extendit ad crimina non ita graua, sed mediocria, si publica sint per euidentiam facti, vel per confessionem, aut per sententiam iudicalem, iuxta cap. *Quæstum*, de Tempor. ordin. Vel etiam per publicam infamiam, quæ per purgationem canonicam auferri non potuit. Hæc tamen omnia non constanter affirmat, sed post varia, quæ generatim dicuntur ab autoribus, concludit nihil certum posse in generali dici, nisi ad particularia descendatur. Atque hoc ego verissimum censeo. Opinor igitur, in eo casu non incurri propriam irregularitatem, propter quam sit necessaria dispensatio post peractam poenitentiam, seclusa infamia, de qua postea dicemus. Hoc probō, quia nullo iure probatur talis irregularitas.

Improbatur Etenim in citato cap. ult. de Tempor. ord. in primis non est sermo de criminibus in genere, sed de quatuor in particulari, scilicet, homicidio, periurio, adulterio, & falso testimonio. Deinde, excepto homicidio prout ibi etiam excipitur, propter alia non imponitur irregularitas, neque incurri supponitur, neque aliquid aliud impedimentum canonicum, vt supra probaui Disputatione 31. sect. quart. sed solā supponitur, propter huiusmodi crimen publicum posse clericum, qui tale crimen publice commisit, impediri ab usu ordinum, in quo ius Prelatorum Ecclesiæ, & prouidentia ab eis adhibenda declaratur, non vero speciale impedimentum ipso iure incurrendum imponitur. Multo autem minus probant alia iura. Nam in dict. c. *Testimonium*, non agitur de criminibus, quæ inducunt irregularitatem: sed de his, quæ sufficiunt, vt testimonium alicuius in iudicio non admittatur: quidquid autem de illis sit, nullum argumentum a simili hic admittimus. Solum possunt similia iura deferuire ad explicandum quando, & quomodo ex illis contrahatur infamia, & ratione illius irregularitas. Cap. autem, *De his*, in superiori sect. expositum est, quia nec propriam legem, sed Rabani sententiam, nec verbum, quod indicet poenam ipso facto impositam, continet. Cap. autem, *Sacerdotes*, quod potius de suspensione loquitur in dicta sectione de Suspensione late tractatum est. Vbi etiam exposuimus cap. ultim. 15. quæstion. 8. quod ad hoc etiam allegari solet. Caput tamen penultimum seu, *Si quis presbyter*, quod supra citatum est, in primis non est Martini Papæ, sed sumptum ex canonicis Martini Episcopi Bracharenf. Deinde in eo non fertur aliqua poena ipso iure, sed ponitur modus, quo puniendus est Presbyter, vel Diaconus, qui subtrahendo peccatum prius commissum, ordinem suscepit. Cum autem ibi dicitur, *Si peccauerit*, intelligendum videtur non de quolibet peccato (quia incredibile est quodcumque peccatum ante ordinationem commissum tam seuerè puniri) sed de peccato quod suscipiendis ordinibus impedimentum affert. Vnde in Concilio Neocæsariensi cap. 9. ex quo videtur Martinus decretum illud sumpsisse, dicitur, *Si corpore prius peccauerat*, &c. & de aliis peccatis secundum veriorē translationem subditur, *Nam reliqua peccata plurimi censuerunt per manus impositionem posse tolli*, ac si diceret, non impediunt ordinationem, si de illis poenitentia agatur. Peccatum autem corporu, sine dubio est aliqualis lapsus carnis, & communiter exponitur de fornicatione ex capit. *Qui amiserit*, 15. q. 8. nam fortasse olim simile peccatum commissum etiam ante ordinationem presbyterij, vel Diaconatus, puniebatur postea in clerico continente tale delictu, vel de illo conuicto. Sed hoc non est nunc in usu, neque ex tali poena propria irregularitas colligi potest. Quapropter, sicut supra dixi non incurri suspensionem.

Ca. Testimonium, de Testibus.

Ca. Si quis Presbyter, 15. q. 8.

A nem propter huiusmodi peccatum publicum, vt, v. g. concubinatum, vel aliquid huiusmodi ita in presenti sentio non incurri irregularitatem, nisi vel ratione infamiae, de qua item dicemus, vel propter aliquod speciale ius, quod solum in delictis supra tractatis inuenitur.

Non omitam tamen aduertere, Maiorem in lib. 5. fere per 40. capita enumerare quam plurima peccata, quæ irregularitatem inducunt. Sed de nullo id satis probat, præter ea: quæ tractauimus, loquendo de propria & canonica irregularitate: sed ingerendum quodlibet impedimentum peccati, aut scandali, & alia huiusmodi, quæ natura sua reddunt illicitum vsum ordinum, vocat irregularitates. Sæpe etiam quodlibet censuræ impedimentum irregularitatem appellat, sæpiusque suspensionem, aut depositionem etiam ab homine imponendam, neque amplius probant iura quæ adducit. Quod possetius facile ostendere discurrendo per singula tamen obuiandam prolixitatem id omitimus, præsertim cum ex multis exemplis in superioribus tractatis facile sit de cæteris ferre iudicium.

DISPUTATIO XLIV.

De irregularitate quæ contrahitur ex delicto homicidij voluntarij.

C VPLEX est hominis occisio, vnā iniusta, altera iusta, & prior esse potest voluntaria vel directe, vel indirecte tantum. Illa ergo quæ & iniusta, & directa voluntate fit, retinuit nomen voluntarij homicidij: quæ autem non ita voluntaria est, dicitur casualis, habetque aliquam rationem homicidij, si indirecte saltem voluntaria sit: quod si contingat esse omnino inuoluntariam, dicitur simplex occisio hominis mere casualis, nam homicidium absolute, peccaminosum actum significare solet. Voluntaria vero hominis occisio duplici titulo potest esse iusta, scilicet ratione defensionis, aut publicæ potestatis & causæ. Vnde quadruplex confurgit hominis occisio seu materiale homicidium, scilicet voluntarium, casuale, defensiuum, punitiuum, & ex omnibus confurgunt irregularitates, quæ hic sigillatim tractandæ sunt, propter connexionem quam inter se habent: simulque de mutilatione dicemus, quia eiusdem speciei est, licet imperfecte illam participet.

SECTIO I.

Quæ voluntas in presenti materia necessaria sit ad homicidium voluntarium.

S Vpponimus ex homicidio voluntario contrahi irregularitatem, id enim passim habetur in iure, dist. 50. & tit. de Homicidio, per multa capita. Vt autem modus huius irregularitatis intelligatur, explicare oportet, quæ voluntas, & quæ actio ad voluntarium homicidium iuxta consuetudinem iuris sufficiat, hinc enim resolutio huius disputationis pendet, vt recte Caiet. notauit 22. quæst. 64. art. 7. In presenti ergo quæstione certum in pri-

Plurima sunt auctoritates inter irregularitates nunc dicitur.

Regula 22. de homicidio.

Caiet. 22. quæst. 64. art. 7.

Conc. Trid.

Covar.

2
An requira-
tur voluntas
expressa oc-
cidenti ad
irregular.
hanc.
Covar.
1 Opinio.
Impugna-
tur.

mis est ad hanc irregularitatem esse necessariam vo-
luntatem directam & perfectam homicidij: nam in
iure irregularitas homicidij voluntarij multum
differt a casuali, vt patet etiam ex Trident. sess. 14.
cap. 7. de Reformat. Differentia autem solum esse po-
test in voluntate directa, quæ necessaria est ad vo-
luntarium homicidium & non ad casuale, vt ex eis-
dem iuribus constat, & ex his quæ congerit Covarr.
relezione de Homicid. p. 2. initio.

Difficultas vero superest, an requiratur voluntas
expressa occidendi hominem. Nam Covarr. supra
negat esse necessariam, sed satis esse putat quod quis
directe intendat alium percutere, & vulnus iniurio-
sum, vel noxium illi inferre: nam, licet non inten-
dat lethale vulnus, vel potius quamuis intendat il-
lud non inferre, si tamen de facto intulit vulnus le-
thale, & sequuta est mors, tale homicidium directe
voluntarium censendum erit. Non caret tamen hoc
dubitatione: nam illud solum dicitur homicidium
voluntarium, quod directe ac perfecte voluntarium
est. Quod videtur explicari illo verbo, *Per industriam*,
vel per insidias, in capit. 1. de Homicidio ex verbis
Exod. 21. & in cap. *Sicut dignum*, § 1 eodem titulo ex-
presse dicitur. *Qui animo occidendi*. Et eisdem modis
loquuntur leges civiles. Sed perfectum voluntarium
non est, nisi ubi effectus ipse expresse & in se est volu-
tus, vt constat ex 1. 2. quæst. 6 art. 1. & 3. quæst. 79. vbi
D. Thom. ait, *Cum aliquid non cognoscitur esse peccatum,*
non posse dici, quod voluntas per se & directe feratur in pec-
catum. Sic ergo in præsentia dici potest homicidium
quod sequitur ex actione, quæ non fuit cognita vt
occisiva, neque vt talis fuit voluta, non posse dici per
se & directe voluntarium, quia voluntas tunc non
fertur directe & per se in ipsum homicidium: ergo
tale homicidium non erit simpliciter voluntarium:
Et confirmatur, nam id, quod est voluntarium tan-
tum in causa, est solum indirecte voluntarium et-
iam si effectus sequatur per se ex tali causa, imo tunc
maxime intercedit hoc voluntarium: nam si effec-
tus sequatur mere paccidens, vix potest esse volun-
tarius, vt sentit D. Thom. supra, & 1. 2. quæst. 20. art.
5. Sed in eo casu homicidium tantum est voluntari-
um in causa scilicet, in percussione, cum in se non
fuerit intentum: ergo. Confirmatur secundo, nam
repugnat eundem euentum simul esse directe vo-
luntarium, & directe nolitum: sed in eo casu non so-
lum quis non intendit occidere, sed etiam intendit
non occidere, & consequenter intendit ita moderari
actionem, vt non occidat: ergo, quamuis postea se-
quatur homicidium, non potest dici directe
voluntarium, cum expresse fuerit nolitum. Confir-
matur tandem ex 2. vlt. de Homicidio in 6. vbi qui fa-
mulo mandat vt alterum percutiat, non vero occidat,
si famulus mandatum excedat, & occidat, dicitur
manere irregularis: & redditur ratio. *Cum mandan-*
do in culpa fuerit, & hoc contingere posse, debuerit cogitare.
Ex quibus verbis colligitur, illud homicidium non
esse directe voluntarium, sed indirecte in causa quam
debit & potuit vitare: idem ergo erit, etiam si quis
per se ipsum alium vulnerat, si tamen id faciat sine
proposito occidendi. Et D. Tho. 2. 2. quæst. 64 art. 8.
ad secund. plane sentit in simili casu tantum esse ho-
micidium voluntarium indirecte.

D. Thom.

Questionis resolutio.

Pro resolutione aduerto, triplicem voluntatem
posse hic interuenire, vna occidendi expresse, &
de hac nulla est dubitatio quin sufficiat. Secunda est
definita non occidendi, sed directa vulnerandi abs-
que vulnerethali. Tertia erit indefinita percuti-
endi, vulnerandi, aut me vindicandi. Deinde oportet
distinguere forum conscientie, quod veritate rei
innuitur, ab externo, quod sæpe vitur præsum-

ptione. Dico ergo primo, absolute illud solum di-
cendum esse in præsentia materia homicidium vo-
luntarium, quod ex proposito occidendi fit. Hoc
mihi probant omnia superius adducta, quibus addo
verba Concilij Tridentini sess. 14. cap. 7. ibi, *Si vero*
voluntate homicidium perpetraverit, & infra, Quis sua
homicidium non ex proposito, sed casu, &c. Ex quibus ver-
bis constat, illud appellari homicidium volunta-
rium, quod ex proposito fit: dicitur autem homi-
cidium factum ex proposito, quod fit ex voluntate
occidendi, nam ibi non est sermo de alio proposito:
ergo hæc voluntas necessaria est ad homicidium
simpliciter voluntarium. Hoc etiam confirmant in-
tra ciuilia, in quibus non dicitur homicidium abso-
lute voluntarium, nisi intercedat dolus, vt patet ex
1. In lege, ff. Ad legem Corneliam, dolus autem non
est nisi animus occidendi, vt constat ex l. 1. §. 1. & ex
l. Diuus, eod. tit. Quibus locis aiunt iuris interpretes,
quoties simpliciter sermo est de pena homicidii,
intelligendum esse illum, qui tali dolo & voluntate
homicidium committit: quia ille est tantum homi-
cida simpliciter iuxta commune ius, & quia pæne
restringendæ sunt. De quo late Antonius Gomez
Tom. 3. Variarum cap. 3. num. 15. & sequentibus.
Imo addit Salzedo c. 94. in Prædica ad homicidium
voluntarium, prout in hac materia sumitur, requiri
quod deliberato animo, & inito consilio fiat: nam
si ex rixa repente orta, vel ex inimicitia ob iniurio-
sa verba subito contracta homicidium perpetretur,
casuale putat esse, non voluntarium. Et citat Di-
dacum Perez in lib. 8. Ordinamenti. tit. 13. num. 256.
in Rubrica. Sed hæc nimia ampliatio & extensio
mihi videtur: quæquam enim rixa ex tempore sub-
orta sit, potest quis libera voluntate directe inten-
dere mortem alterius: ergo tale homicidium est in
se directe voluntarium, & sub hac appellatione in
iure comprehenditur, nisi fortasse induat rationem
defensionis, cuius alia est consideratio infra tra-
denda.

Ex hac vero regula sequitur, quando aliquis vul-
nerat alium directa voluntate percutiendi, seu vul-
nerandi, tamen cum proposito non occidendi, quæ-
uis mori sequatur, illud non esse homicidium vo-
luntarium in rigore, & in conscientia, in qua deta-
li proposito constare potest. Quod fecus est in foro
exteriori, & ideo in illo coniecturis & signis agitur,
quæ ex circumstantiis, vt ex instrumento quo per-
cussit, ex loco, modo, & occasione desumuntur, &
in dubio semper præsumitur contra occidentem,
vt late Antonius Gomez supra. Aliquando vero ne-
cessarium est eisdem coniecturis vt in foro animæ,
maxime ad dispensationem, vt quando ipsemet oc-
cidens nescit explicare intentionem suam. Et præ-
sertim quando habuit animum percutiendi, neque
expresse includendo vsq; ad occisionem, neque etiã
excludendo aut limitando: sed indifferenter abso-
lute volendo percutere aut vulnerare: tunc enim cir-
cumstantias considerare necesse est, nam ex eis pen-
det cognitio causæ, quæ ad occisionem hominis ap-
plicata fuerit. Nã si illa sit proxima, & ita efficax, vt
ex illa moraliter sequi solet mors, tunc homicidium
illud censendum erit simpliciter voluntarium: in
quo casu procedet prior sententia ex Covarr. citata:
nam velle talem causam, perinde est ac velle effec-
tum: nam si quis directe vult applicare ignem legiti-
tis, satis directe vult incendium: & qui vult propinare
venenum, quod scit esse mortiferum, satis directe
vult mortem, etiam si fingat senolle. Sic ergo qui
ense vult percutere absolute, in quacunque parte
potest, & quomodo potest, & hoc modo occidit,
tale homicidium voluntarium est, quia moraliter id
est velle talem causam proximam, & velle effectum.
Quod fecus erit quando vtens eodem instrumento,
directe procurat non percutere ita vt vulneret, vel
non in parte periculosa: tunc enim si aliud enu-
merat, præ-

Antonius
Gomez
SalzedoDidacus
Perez4
Contra

præter intentionem erit, & excusabitur à ratione homicidij voluntarij in dicta proprietate. Idemque à fortiori erit, si instrumentum ex se non erat aptum ad inferendam mortem: & simili modo poterunt alia circumstantiæ considerari.

2. Conclusio. Dico ergo secundo. Ad hanc irregularitatem necessarium esse expressam ac directam, imo & spontaneam voluntatem occidendi, in actu signato (vt sic dicam) vel exercito. Dicitur enim tali voluntate fieri, quando vel mors ipsa est intenta, vel saltem actio illa, quæ est causa proxima, & moraliter per se, & inevitabilis mortis, vt satis explicatum est: quia velle talem actionem reuera est velle inferre mortem in actu exercito (vt sic dicam) quamvis in actu signato & expresso non cōcipiatur. Dixi autem voluntatem hanc debere esse spontaneam, vt excluderem voluntatem se defendendi, quæ in hac materia solet dici necessaria: & licet in ea aliquando excedatur, etiam peccaminose, effectus ex illa secutus non est voluntarius, prout nunc loquimur, sed alterius rationis, vt infra videbimus. Adde, sub nomine mortis mutilationem etiam comprehendere, iuxta dicenda sectione sequente.

SECTIO II.

Primum, Ad hanc irregularitatem necessarius sit effectus mortis vel mutilationis.

Eritum est, solam voluntatem internā non sufficere, si in actu exteriorē nō prodeat, vt in principio huius materie dictum est, & patet ex cap. vltim. 15. quæst. 1. Dixerunt autem quidam, fieri aliquem irregularem, si animo occidendi vulnera intulit, vel, quod in se est, fecit ad occidendum, quamvis mors non fuerit subsequenta. Ita Gloss. vlt. in cap. Perniciose, de Pœnit. d. 1. & probat ex cap. Si cui, ead. dist. vbi Augustin. ait. *Qui tentauit facere adulterium, non minus esse reum, quam si in ipso facto deprehenderetur.* Idem tenuit Hugo in cap. Si quis, d. 51. Speculator titulo de Dispensatione, §. Iuxta, vers. Sed quid de iudice? Et Maiolus libr. 5. cap. 48. num. 5. qui ita declarat hanc sententiam, vt nec sola volūtas interior, nec qualibet exterior actio ordinata ad occidendum sufficiat ad irregularitatem inducendam, nisi sit actio proxime ordinata ad occisionem, qualis est vulneratio, nam hanc censet sufficere, etiam si non sequatur mors. Fundamentum est, quia in atrocissimis delictis attentatio, licet nō fortiaur effectum, eandem pœnam meretur: in hoc enim sensu dicitur in l. Diuus, ff. de Sicariis. *In maleficio voluntas spectatur, nō exitus.* Et in l. in lege. Dolus pro facto accipitur: nam ibi dolus non significat solam internam voluntatem, de hac enim non indicat ciuile ius, sed voluntatem, quæ exterius se prodit in tentado homicidij, de quo in particulari ibi sermo est. Et generatim de omnibus atrocibus delictis id tradit Baldus in l. Si fugiuius, Cod. de Seruis fugitiuis. Sed hæc irregularitas, de qua agimus, est pœna homicidij: ergo incurritur per homicidium proxime attentatum, etiam si in re non sequatur. Et confirmatur, quia se tentat occidere, & sic sibi vulnera infert, vel laqueo se suspendit, quamvis ab alijs præuentus, & impeditus sit, ne consummet suam mortem, irregularis manet, cum excommunicationem ipso facto incurrat.

2. Conclusio. Dicendum nihilominus est, irregularitatem hanc non incurrere, nō subsequuto effectu homicidij, quocunque modo etiam miraculoso impediatur, præterquam in casibus à iure expressis. Est communis, & mihi certa sententia, quam late probat supra tractando de Censuris in communi, eademque est ratio de irregularitate ex delicto: & in hoc delicto, ac in cæteris. Est autem generalis ratio, quia pœna ipso

Fr. Suarez tom. 5.

A iure imposita non incurritur nisi per delictum consummatum, nec sufficit inchoatum, etiam si perueniat ad actum propinquum, vt notauit Panormitanus in capite. 1. de eo qui mittit in possessionem, n. 13. citans Ioannem Andream in regul. In panis, de regul. iuris in 6. ex qua regula id sufficienter probatur quia pœnæ non sunt extendendæ, sed coarctandæ ad proprietatem verborum legis. Summi etiam potest optimum argumentum ex c. Perpetuus, de Electione in 6. Item ex ca. 1. de Homicidio in 6. ibi, *Quamquam mors forsitan ex hoc non sequatur.* Nam, quia ibi Pontifex voluit extendere pœnam ad homicidium intentatum, etiam non sequuto effectu, ideo id expressit, significans, vbi hoc non exprimitur, non habere locum talem extensionem. Atque hæc sententia communiter recepta est: sumitur ex D. Tho. 1. 2. quæst. 20. ar. 5. ad 4. iuncta doctrina eius in 2. q. 64. ar. 7. ad 3. & art. 8. ad 2. Soto lib. 5. de Iustitia, quæst. 1. art. 4. & in 4. d. 25. qu. 1. art. 3. Syluestro verb. Homicidium, 3. nu. 2. Armilla verb. Irregularitas, nu. 2. Nannar. ca. 27. num. 223. Couar. in Clement. Si furiosus, 2. par. in princip. n. 5. vbi alios refert, Antonino 3. par. tit. 28. cap. 2. Panormitan. supra, & in cap. 1. Qui clerici, vel vouentes.

Extenditur irregularitas ad mutilationem.

Dixi autem, præterquam in casibus à iure expressis, quia, sicut negatio in præfenti est sufficiens causa negationis, ita & affirmatio affirmationis. Et per se manifestum est potuisse ius extendere hanc irregularitatem ad aliquam percussione, quæ ad homicidium non perueniat. Prima ergo & præcipua extensio est, si mutilatio fiat, illa enim ad irregularitatem sufficit, capit. in Archiepiscopatu, de Raptor. Clement. vnic. de Homicid. tunc autem constat, non incurrere irregularitatem propter intentatū homicidij: nam, licet quis percutiat animo mutilandi tantum, & non occidendi, irregularis fiet, quia talis irregularitas non incurritur titulo homicidij, sed præcise causa mutilationis, neque alia intentio seu dolus in iure postulat. Atque ita talis casus nō est proprie exceptio à prædicta regula, quia hæc reuera non est irregularitas homicidij, sed alia distincta, quæ cum illa coniungitur propter similitudinē culpæ, nam licet differant vt perfectum & imperfectum, in iure æquiparata sunt quoad pœnam irregularitatis, vt Glossa notauit in dict. Clement. verb. Mutilat, vbi alia iura allegat.

Refert autem non parum hanc esse æquiparationem, & non identitatem, seu (quod idem est) has irregularitates esse distinctas & non eandem, vt intelligamus, non omnia, quæ iura disponunt circa irregularitatem homicidij voluntarij, extendi ad mutilationem voluntariam. Quod notauit Congregatio Cardinalium in responsione quadam circa sess. 24. Conc. Trid. cap. 6. de Reform. in quo dispensatio irregularitatis homicidij voluntarij reseruatur Summo Pontifici: declarauit autem Congregatio, illam reseruatiōem non extendi ad dispensationem irregularitatis ex mutilatione voluntaria occulta, sed concedi Episcopo ex vi illius Decreti. Quia reseruatio illa ad rigorem pertinet, & ideo extendi non debet ad casum non expressum, cū diuersus sit, & minus grauis, & acerbus, quia homicidium simpliciter odiosius est quam mutilatio. Vnde pro regula constitui potest, ea, quæ iura disponunt de irregularitate pro homicidio, si ad lenitatem, vel aliquam pœnæ diminutionem pertineant, extendi ad irregularitatem mutilationis: quia fauores sunt ampliandi, & à fortiori sufficienter constat hanc fuisse mentem legislatoris: Si vero pertineat ad rigorem, non est admittenda extensio ad mutilationem, nisi in ipso iure fiat, propter rationem dictam. Secus vero esset de iure disponente aliquid circa solā irregu-

laritatem